Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historia Caini Et Abelis, Notis Criticis, Philologicis, Historicis Et Theologicis Illustrata[e]$nElektronische Ressource

Fecht, Johann
Fecht, Gustav Friedrich

Rostochi, 1704

VD18 10451528-001

§. XXXV.

urn:nbn:de:bsz:31-41839

Visual Library

§. XXXV. Ad v. eund. *Una Ada, altera Zilla.*) Adam dictam fuiſſe qvaſi *remotam* à viro, cum qva extra unum alterumque congreſſum, generandorum liberorum cauſa inſtitutum, nihil Lamecho fuerit negotii: Zillam verò tanquam ſub umbra viri omnibus deliciis gaudentem, tradit *R. Sal. Jarchi.* De qva inutili ſolertia recte *Aben Eſra:* אל תשים לבך לשמור את דברי הגאון בשמות כי אלו היינו יודעי׳ כל לשון הקדש מאין נוכל לדעת כל הקורות כטע׳ משה ויששכר; *tu ne animum tuum adverte ad verba Excellentis illius viri qvo ad nomina iſta, qvia ſi vellemus ſcire omnem loqvendi in Scriptura rationem, unde poterimus omnem Scripturarum ſenſum expiſcari, ſicut ſcimus de Moſe & de Iſaſchar.* Hoc nempe vult, niſi Scriptura ipſa explicatione ſua præeat, nominum propriorum originem Grammaticam, impoſitionis cauſam & totius rei hiſtoriam neceſſariò nos latere. Quod exemplo vocis Iſaſchar & Moſis confirmat.

§. XXXVI. Ad v. 20. *Jabal pater habitantium in tentorio & gregis.*) Sententia quidem clara eſt, Jabalem nempe patrem fuiſſe, i. e. autorem eorum, qvi non in domibus, ſed tentoriis ob hanc commoditatem habitaverint, ut tentoria, quoties neceſſitas requireret & paſcua ibi locorum, ubi primum fixerant, deficerent, ſine ullo negotio refigere & in alium locum transferre poſſent. Quali vitæ genere adhuc hodie, niſi fallor, Tartari Præcopenſes utuntur. Sed in Ebraiſmo loquendi ratio paulo difficilior videtur: *autor incolentium tentoria & armenti. Ben Melech* ſupplet vocem: רעים, *paſtorum*, hoc ſenſu: *erat inventor habitantium tentoria & paſcentium armenta. Radak* τὸ ו in ומקנה per אם, ſeu *cum* vertit, hoc ſenſu. *erat incolens tentoria cum pecore.* Quo pacto τὸ ו ei